





12
De 1707 4
TRIBUTIS,

EX PRINCIPIIS PHILOSOPHIÆ
PRACTICÆ,

Auspice DEO, 9

PRÆSIDE

212
**JOHANN EBERHARDO
RÖSLERO,**

Philos. Pract. Prof. Publ. Ord. & Contubernii
Rectore, Fac. Philos. h. r. Decano.

Pro ritè obtinenda Laurea Philosophica Secunda

Disputabit

CHRISTOPH. MATTHIAS LANGIUS,
Schorndorffensis, Philos. Candidatus.

Ad diem XII. Septembr.

H. Lq; consuet.

TUBINGÆ,

Typis JOHANNIS GRÆZII.

Anno MDCCVII.



DE
TRIBUTIS

EX PRINCIPES PHILOSOPHIAE
MATHES

JOHANNES DEO

JOHANNES FERHARDO

ROSEBERG

Philol. Praef. et Publ. Ord. Gessnerian
Königsberg 1717

Philol. Praef. et Publ. Ord. Gessnerian
Königsberg 1717

JOHANNES FERHARDO

ROSEBERG

Philol. Praef. et Publ. Ord. Gessnerian

Königsberg 1717

JOHANNES FERHARDO

ROSEBERG

Philol. Praef. et Publ. Ord. Gessnerian





I.

Um ea sit in praesenti patriae nostrae facies, postquam hostili invasione oppressa exitium ac ruinam ferro flammisque intentatam ingenti pecuniae summam redimere coacta fuit, ut de *Tributorum* gravitate examinationumque rigore querelarum plena sint omnia: Occasio inde nobis enascitur, speciminis publici loco, de *Tributis* aliquid differendi: non quod paucis hisce paginis omnem materiam ambitum comprehendi posse putemus, sed ut circa praecipua tantum capita quid ratio iustum, quid prudentia utile esse dicat, indicemus: non aegre latari, si quis longè plura de isto argumento dici potuisse contendat.

II.

Tributi vocabulum, quod antiquitus etiam masculino genere usitatum fuisse ex *Catonis Originum* libris probat *Nonius Marcellus*, & locus *Plauti in Epidico Act. II. Sc. 2.* testatur, à tribu, an à tribuendo originem habeat, ipsi etiam verstiores *Latinae Linguae Auctores & Grammatici* non conveniunt. Illud *M. Terentio Varroni* visum, qui *L. IV. de L. L. Tributum*, inquit, dictum à tribubus, quod ea pecunia, quae à populo imperata erat, tributim à singulis, pro portione census, exigebatur: quem sequitur *Nicolaus Perottus* in *Connucoptiae*, tribuendi verbum à tributo deducens, quippe quod idem sit, ac tributum pendere. Hoc *Sexto Pompejo Festo* placuit, cuius haec sunt verba *Lib. XIII. de verborum veterum significatione: Tributum dictum, quia ex privato in publicum tribuitur.* Consentit *Ulpianus J. C. l. 27. ff. de Verb. Sign. Sanè*, inquit, appellatur ab *intributione tributum, vel ex eo, quod militibus tribuatur.* Quae posterior

sterior derivatio quin verifimilior sit, nulli dubitamus, quanquam ad rem ipsam nihil interfit.

III.

Intelligimus verò hîc per tributum *Omne id, quod Principi aut Reipubl. pecunia vel fructibus aut rebus ipsis tribuitur ac penditur.* Eadem res vocabulis Contributionis, Intributionis, Indictionis, Collectionis, Collectæ significari consueta est. Quanquam quod ad Collectæ vocem attinet, eam à tributo ita nonnulli distinguunt, ut hoc rebus tantum, illam personis pro rebus imponi asserant, vid Zieglerus de Jur. Maj. Lib. II. c. 1. §. 1. alii Tributi nomine ordinarias, Collectæ verò extraordinarias pensiones intelligunt, uti Wendelinus Doctr. Polit. L. II. c. 24. At sub tributis hîc non complectimur vectigalia, quæ ab istis tum personarum, quibus illorum pensio incumbit tum rerum, propter quas ea sustineri debet, ratione distinguuntur: Tributa enim à solis persolvi subditis ob tutam rerum & mobilium, & immobilium possessionem; at vectigalia non à subditis modo, sed peregrinis etiam præstari, solarum mobilium rerum exactionis gratia, observat Conringius in Dissert. de Arario Principis rectè constituendo, augendo & conservando. §. 49. quod quousque verum sit, infra videbimus. Neque etiam hîc agimus de Donativis, quæ ex pacto à paribus ad pares mittuntur: nec de lytro incendiario, vulgò *Brandschatzung* quod pro avertendis incendiis, deprædationibus, & direptionibus datur, quanquam interdum, utrumque hoc tributî nomine venire, & utrumque tributî indicandi causa esse soleat.

IV.

Festus libro supra allegato tria enumerat Tributorum genera, aliud in capita, aliud ex censu, tertium temerarium. Hodie ferè in Ordinaria & Extraordinaria distinguunt. Horum sunt, qui tres constituunt species *Jugationem*, qua pro magnitudine, numero & qualitate agrorum & prædiorum ad publicas necessitates sublevandas aliquid contribuitur; *Capitationem*, qua in singula subditorum capita constituitur certa pecuniæ summa; *Hospitationem*, qua subditi hospitium præbere gratuitum militibus coguntur. Sed & harum quædam Ordinaria in locis quibusdam sunt, & Extraordinariorum longè plura passim reperiri, novaque horum quotidie excogitari nomina

nomina & artificia experientia docet: vid. Befoldus Disc. Polit. de
 Aetario cap. 4.

V.

Justitiam æquitatemque indictionis tributorum, necessitas eorum ad conservandum Reipublicæ statum, & commodum, quod subditi ex civitatum constitutione capiunt, abunde probant. Nam cum sumus imperans ipse omnibus Imperii muneribus per se defungi nequeat, ministris que opus habeat, ad quos alendos magni requiruntur sumptus, cum bello contra vim externam defendenda sæpè sit civium salus, cujus nervus est pecunia, cum ædificia aliaque opera publica non exiguas possent impensas, cum ad auctoritatem Imperii firmandam splendore quodam externo opus sit, justum sanè est, ut si non suppetat tantum publicorum bonorum, quantum ad usus civiles pertinet, tum privati de suis conferant, ut toti Reipublicæ consulatur. Qui enim est focus civitatis, in quantum focus est, obligatus est ad communem Reipublicæ salutem procurandam: adeo, ut si vita ipsa sit patriæ impendenda, contra officium fecisse existimandus sit, qui illam salute & incolumitate hujus potiorem duxerit. Frustra enim civitates forent constitutæ, neque earum finis posset obtineri, nisi conservatio totius cœtus privatæ salutis respectu esset anteponenda. Quod si igitur vita tanti non esse debet civi, quin eam pro civitate, ubi res exigit, profundere velit; quanto magis obstrictus est, ut opum aliquam partem status publici conservationi impendat, siquidem hæc sine istiusmodi subsidiis obtineri non potest. Hinc cum Nero dubicaret, an cuncta vestigalia omitti juberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret: impetum ejus attinere Senatores, dissolutionem Imperii docendo, si fructus, quibus Respublica sustineretur, deminuerentur, quippe sublatis portoriis, sequens, ut tributorum abolitio expostularetur. Tac. Ann. XIII. cap. 50. quem locum brevi commentatione illustravit Bœclerus in Dissert. Polit. ad Selecta vet. Hist. loca: & apud eundem Authorem Hist. L. IV. cap. 74. Cerialis ita ad Treveros ac Lingonas ait: Nos quanquam totiens laceßiti jure victoria id solum vobis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium sine armis; neque arma sine stipendiis; neque stipendia sine tributis haberi queunt.

A 3

VI. Ne-

VI.

Neque verò necessarium modò, sed insuper æquissimum est, ut civis aliquid ex lucro & compendio bonorum, quæ non nisi in civitatibus tutò possidentur, in commune conferat & veluti mercedem civitati pro defensione salutis atque facultatum suarum pendat. *Quicquid boni homo civisq; in Republica habet & possidet; quod vivit, quod liberè vivit, quod bene, quod beate, omniumq; rerum & bonorum usu, & interdum etiam copia ad voluptatem utitur fruitur, totum hoc beneficium Republica civilisq; ordini acceptum est referendum. Illa facit, ut homo sociatus in civili societate civiliter vivat, suisq; gaudeat bonis.* Verba sunt Befoldil. c. c. 1. quæ sua fecit Conringius in Diss. de Contrib. §. 12. Non inconcinne ea de re ita philosophatur Hobbesius c. XII. de Cive §. 9. *Debent homines considerare, non modò laborandum esse iis, quibus patrimonium non est, ut vivant, sed etiam pugnandum, ut laborent. Unusquisque Judæorum, qui tempore Esdræ muros Hierusalem edificabant, unà manū faciebat opus, alterà tenebat gladium. In omni civitate cogitandum est, manum, quæ gladium tenet, esse Regem vel curiam summam, & ab industria civium non minus alendam esse, illà, quæ quisque fortunam suam privatam fabricatur; vectigalia autem & tributa nihil aliud esse, præter mercedem eorum, qui armati vigiliant, ne industria singulorum incursum hostium impediatur; nec magis justam querimoniam esse eorum, qui paupertatem suam pensionibus publicis imputant, quàm si dicerent, inopes se fieri propter solutionem debitorum. Sed nihil horum cogitat maxima pars hominum. Pariuntur enim idem, quod in morbo, qui appellatur incubus, qui ortus ab ingluvie, facit tamen homines putare se invadi, & magno pondere opprimi & suffocari.*

VII.

Accedit mandatum divinum in Sacris literis passim inculcatum. Nam & Servator optimus, *Cæsari, quæ sunt Cæsaris, reddi.* Matth. XXII. vers. 21. & Paulus Rom. XIII. vers. 6. 7. *Tributum atque vectigal solvi jubent.* Subjectionis antiquissimum signum in legibus Mosaicis ipse DEUS constituit initio Reipublicæ Israeliticæ. Deut. XX. vers. 10. 11. *Si accessoris ad Civitatem expugnandam, offeres ei primo pacem: si receperit & aperuerit tibi portas, cunctus populus,*

populus, qui in ea est, salvabitur, & serviet tibi sub tributo. Unde & Salomo 1. Reg. IX. vers. 20. 21. reliquias gentium Canaanarum tributarias fecisse legitur. Locus 1. Samuel. II. ubi à Samuele Jus Regis populo ostenditur, num quam hic probandi vim habeat, controvertitur. Quidam enim nudum factum, & quidem Tyrannicum hic prædici contendunt. Alii mitius loquuntur, atque de tali facto accipiunt, quod effectum aliquem juris habeat. B. D. Oslander tamen, argumentis sat validis, verum jus & facultatem agendi à DEO concessam, cum in notis ad Grotium p. 534, tum in Dissert. peculiari de Jure Regio comprobavit.

II.

Errant igitur sine dubio, qui tributa per injuriam exigi ab imperantibus arbitrantur, neque in naturali æquitate, neque in Christiana libertate quicquam præsidii inveniunt. Quin imò conscientiam cum stringat tributorum conferendorum necessitas, graviter peccant, qui vel officium hoc obire omninò recusant, vel fraudulenter saltem in eo obeundo versantur, vel vires obeundi sua sibi culpa deterunt.

III.

Ad quem tributorum indicendorum jus pertineat, ex iis, quæ jam dicta sunt, patet. Nam cum tributa ad sustentandas Reipublicæ necessitates, & pro securitate præstita præstandave conferantur, ejus est illa indicere, cujus est de mediis ad conservandam Reipublicam idoneis dispicere, eaque ad finem præstitutum attemperare, & defensionis curam ac moderamen in se suscipere, Summi nimirum Imperantis. Hinc rectè, *Jus vectigalia ac tributa imperandi perinde Majestatis proprium esse ut legem ipsam*, ait Bodinus de Republ. Lib. I. c. 8. Et communi consensu ad Regalia seu Jura Majestatis hoc jus referri constat, ipsaque Sacræ Scripturæ loca commemorata idem evincunt. Pauci sanè futuri essent in hac mortalium pravitate, qui spontè vellent privatarum opum jacturam pro totius navis conservatione facere, nisi vis imperantis metuenda foret, qui subjectionem & obedientiam à subditis jure suo exposcere potest.

X. Caven-

X.

Cavendum tamen hîc est, ne summum imperium cum absoluto, vel regimen cum jure regendi, aut Respublicas regulares cum irregularibus confundamus. Quemadmodum enim absolutum esse potest, quod summum non est, ita nihil impedit, quo minus summum aliquod neque tamen absolutum sit, uti contra Hobbesium asseruit Pufendorff, Lib. 7. c. 6. §. 13. Determinatur enim Principis potestas non modò legibus Divinis semper, sed etiam interduum humanis pactionibus, quas sumpto vocabulo minus propriè, Leges fundamentales appellant, quæ ubi semel ab Imperantibus sunt interæ ac rati habitæ, vim obligatoriam in conscientia habent. Utuntur enim & Principes circa conventiones & pacta non alio jure, quàm privati, unde & lex naturæ, quæ pacta sanctè servanda esse dicitur, non minùs Principem, quàm infimæ sortis hominem obstringit. Quod si igitur Princeps in imperio ejusmodi limitato promiserit se citra consensum populi vel procerum nulla indicturum tributa, secus si factum fuerit, nolle cives jussis suis circa id teneri; dubium non est, quin pactis stare debeat, actusque ab istis discrepantes ipso jure sint irriti. Non tamen inde hoc jus à summo imperio separari posse consequitur, quandoquidem, uti Pufendorff loquitur: *Ab ista cognitione concilii vis imperii non radicaliter, sed quasi à conditione, sine qua non, dependet. Limitatione enim ista fit, ut non existit. Ubi igitur tale quid in usu est, regulariter jus indicendi tributa penes imperantem esse intelligitur, quod tamen secundum leges pacti non nisi per concilium aut illo consentiente exerceri possit. Ubi verò obligatio ex promisso Principis cadit in ipsam facultatem, ita, ut ea se omninò abdicet, & alteri transferat, divulsis aut mutilatis imperii partibus Respublica irregularis, aut aliorum stylo mixta evadit.*

XI.

Quemadmodum verò justitiæ est in Regnis Principatibusque legitimi

legitimis & Rebuspublicis mixtis eos adhibere in consilium, & quorum consensu pacta conventa exercitium indictionis tributorum suspendunt, vel suum jus integrum illis relinquere, quibus leges Reipublicæ fundamentales ejusmodi facultatem addicunt; ita non minus prudentia suadet, ut in Regnis, quibus cum plena & illimitatâ potestate imperantes præfunt, consentientibus potius, quàm in vitis subditis extraordinaria imponantur tributa, eoque in comitis res geratur, & de commodiori ratione deliberetur. Neque enim per hoc juris aliquid populo conceditur, sed id tantum agitur, ut ille promptiori collationi præparetur, æquè ac in Legibus prologi adhiberi solent, non quod de essentia ipsarum sint, sed ut populum ad perferendum melius disponant. Hæc sanè ratione odium, quod tributa comitari solet declinant Principes, omnem sinistra opinionis suspicionem ac reprehensionem effugiunt, populi animos delinunt, & amore subditorum tantquam firmissimo munimento cincti contra quoscunque hostium insulcus securiores esse possunt. Si tamen Suada nihil effecerit, Themistoclis exemplo violentia quoque erit adjungenda, nisi alia fortiores Deæ Inopia & Impossibilitas verè possint opponi.

XII.

Neque insuper diffitemur civitatem in eum quandoque statum posse redigi, ut subito opus sit pecuniario subsidio, nec Principis possit expectari imperium, ut si obsidione cinctum fuerit oppidum ab hostibus. Tum verò ad curam Magistratus pertinere rectè judicat Zieglerus d. L. z. c. 1. §. 19. ut & imperet, & exigat tributa, nec propterea in crimen Majestatis incidere, in quod incideret, si talis nulla urgeret necessitas. Nam cum Magistratus à Principe in partem curarum publicarum adscitus fuerit, quicquid à Magistratu tum geritur, ex præsumpta Principis voluntate gestum esse censetur. Extra ejusmodi casum Magistratui nequaquam indiciendi, sed tantum exigendi tributa indicta vi collatæ jurisdictionis competit.

XIII.

Atque ex ante dictis etiam spontè consequitur, à quibus tributa rectè exigantur. Nempe si per ea securitas & salus publica conservari debet, hoc autem bonum ad omnes cives pertinet, quin jure meritoque omnes cujuscunque vel ordinis, vel conditionis sint, in hunc censum veniant, non dubitamus; æquitas enim ipsa dicitur, ut cujus sunt commoda, ejus etiam sint onera, quæ commodorum fruendorum causa imponuntur. Exteros eatenus quoque obligari ratione bonorum, quæ in nostra civitate habent, quatenus eadem, qua cives gaudent securitate, arbitramur. Conf. Zieglerus d. J. M. Lib. II. c. 2. §. 63. seqq.

XIV.

Esti autem naturali jure nemo à tributi conferendi necessitate eximatur: nisi quem ipsa Inopia & Impossibilitas eximunt: fieri tamen potest & solet, ut à Principe vel Republica immunitas concedatur per leges aut privilegia, illis, qui vel consilia suppeditando, vel Sacra procurando, vel juventutem instituendo, vel alia ministeria publica obeundo utilem Civitati operam præstant; ne, si opibus & actionibus simul Reipublicæ cogerentur succurrere, gemino onere premerentur, vid. Becmanus Consp. Doctr. Polit. c. 24. Med. Polit. c. 20. & Parall. Polit. c. 20. conf. Conring, Diss. de Arario. §. 43. Nam cum ex publico remuneranda sit opera publicè impensa, nihil sanè interesse videtur, opibus in ararium collatis, an immunitate concessa ex toto vel ex parte fiat compensatio: Quod si tamen salariis ex publico constitutis, horum opera condignè compensentur, quin ex bonis patrimonialibus, quibus eodem, quo reliqui cives, jure gaudent, pari jure etiam ad communem utilitatem aliquid decerpatur, æquitas naturalis non obstat, vid. Zieglerus loc. c. Quin & salariorum partem aliquando conferri ingens necessitas jubet, neque tum justitia repugnat.

XV.

Ad materiam tributorum quod attinet, ea non tantum est pecunia, sed quicquid pecunia æstimari potest. Videmus igitur decimam,

nam, tricesimamque frumenti, vini, &c. & apud nos exigi. *Levius* quoque subditis redditur onus, si ex eo rerum genere, cujus maximus est provectus, in ærariū aliquid conferre jubeantur, quàm si præsens exigatur pecunia, cujus copia non semper est: in primis ubi commercia non magnoperè florent.

XVI.

Opum nomine potissimum, quas quisque possidet, & rerum, quæ quotidiana usu consumuntur, imponi solere tributum in vulgus constat. Monent tamen prudentes, cum tributum rebus ad victum pertinentibus impositum maximè odiosum plebi & grave sit, cavendum esse imperantibus, ne iis rebus imponatur, quibus pauperes vitam necessariò sustinent, & quibus carere nequeunt, vel si commodior alia ratio non suppetat, saltè levius harum nomine exigendum, gravius autem imperandum earum nomine, quæ minùs sunt necessaria, quibusve divites frequentius, quàm pauperes utuntur. Imprimis verò, ut ex *Bodino* *Besoldus* & *Contingius*, collatio gratissima DEO, pulcherrima civitati, Magistratui honestissima, plebi utilissima illa censetur, quæ imponitur iis rebus, quæ ad luxum, delicias, & corrumpendos civium mores spectant. Uti sunt aurea, argenteaque supellex, vestes pretiosæ, filamenta pretiosa, gemmæ, margaritæ, cupediæ & hujus generis alia, quibus qui carere non possunt, ut luxuriam soluto graviori tributo luant, minimè iniquum est; inopes verò hoc modo sublevantur, & luxui modus statuitur. vid. *Besoldus* l. c. cap. IV.

XVII.

Neque tamen idèò probamus ea, quæ rebus actionibusque turpibus ac lege divina veritis imponuntur tributa: Quale Romæ ac Venetiis, ex lenocinio & meretricio quæstu exigi tradunt, simile illi, quod à *Caligula* institutum *Suetonius* in Vita hujus refert c. 40. ad quem locum plura ejus generis annotavit *Casaubonus*. Dum enim vestigalia faciunt scelera, approbare se testantur imperantes, & peccandi licentiam publico auctoramento pandunt. Et quemadmodum hoc turpe & illicitum, ita illud sordidum ac indecorum est, quod

quod à Vespasiano excogitatum festum odorem adhuc in historia retinet. Suetonius in ejus Vita c. 23.

XVIII.

Si de modo imponendi tributa quærat, ille quidem sine dubio est optimus justissimusque, qui quam maximè servat æqualitatem non simplicem, sed comparatam, per æs & libram, uti appellant, ex bonorum copia & singulorum viribus servatâ proportionem æstimandam. Parum igitur æquitatis habet Capitatio Tarquiniana, qua singulis hominum capitibus æqualis summa nulla habita facultatum ratione imperatur, qui modus hodiè apud Turcas adversus Christianos in usu esse dicitur. Neq; Jugatio proportionem debitam satis observari videtur, neq; quæ in capita pecorum imponitur collecta; quia sic qui auri argenti que magnos cumulat acervos, qui possitis in fenore nummis dives est, immunis evadit: Accedit, quod priori modo, cum onera omnia in possessiones devolvantur, agros tandem desertos relinqui & vastitatem induci necessum sit. Æqualitatem aliam pensionum in publicum esse non posse, nisi ut unusquisque solvat pro ratione eorum, quæ consumit, autumat Hobbesius Leviath. c. 30. sed fallor, an hoc quoque remedium intentioni non respondet. Nam hoc modo pauper aliquis decem liberorum Parenti plus contribueret, quam orbis ac dives Euclio genium suum defraudans, cui nulla domi consumptio. Optimus nobis cum Conringio modus videtur, quo singuli cives profiteri tenentur, quantum in bonis habeant, eamque professionem juramenti religione confirmare. Quanquam necessitas alios etiam modos interdu jubeat amplecti.

XIX.

Cum autem inæqualitas maxima oriri videatur ex eo, si aliqui civium immunes sint ab omni collatione, sine gravi causa privilegia ejusmodi non esse concedenda ratio dicitur, cum in ceteros horum portio redundet. Hinc justitiæ conveniens est, ut qui privilegium concedit, ne in detrimentum tertii id trahatur, ipse in locum exempti succedat, & ratam illius partem solvendam in se suscipiat. vid. Zieglerus L. II. c. 2. §. 44. de J. M. Imò existimant retum civilium

civilium periti, cum plurimum invidia secum trahant ejusmodi immunitates consultius esse, ut hominum de Republica bene merentium virtutibus alia præmia quæcunque, quam publicorum onerum remissio, decernantur.

XX.

Sed & ad odium tributorum molliendum faciunt, ut ante dictum, deliberatio cum proceribus, & sublevatio pauperum, item publica & candida necessitatis & utilitatis declaratio, mollia & minus exosa nomina, lenis exactio & legitima dispensatio.

XXI.

His modis efficitur, ut velint subditi pendere tributa, at vana est sine viribus voluntas: proinde curandum etiam imperanti est, ut possint. Hoc ut obtineatur, non ita sunt exhauriendi, ut posthac nil præstare possint. Alexandri Magni responsum celebratur, cum cum quidam admoneret, longè plus vectigalium auferri posse: *Odi hortulanum, qui olera radicibus excindit.* Opera danda, ut commercia & opificia floreat, & ita cives ab ignavia abstrahantur. vid. Besoldus de *Arario* c. 4. §. 8. Curandum, ut res monetaria bene se habeat, quæ neglecta, quas turbas in re familiari civium dare possit, patria nostra circa Annum MDCXXII. experta est. Leges denique sumptuariæ ferendæ. Non aliâ enim re magis facultates exhauriuntur civium, hiq̃ue ad præstanda Reipublicæ subsidia incepti redduntur, quam per luxum. Verissimum est illud, quod Plautus de mulieribus festivè scribit Epid. Act. II. Scen. 2. p. 42. seq.

*Quasi non fundis exornata multa incedant per vias ;
At tributus cum imperatus est, negant pendi potesse ;
Illis, quibus tributus major penditur, pendi potest.*

Quem locum allegat Pufendorf. Lib. IIX. c. 5. §. 4. sed (quod obiter noto) perperam ex Cistellaria, qui error unâ cum multis aliis majoris momenti etiam in recentissimis Editionibus relictus, à diligentissimo Interprete & Commentatore Gallico Barbeyracio observatus est.

XXII.

Quod non nisi urgente necessitate quidam tributa indicenda afferunt: id vel de extraordinariis intelligo tributis, vel de necessitate non gravi & jam præsentè, sed imminente & prudentissimo metu prævisa. Ergò & felicissimis temporibus imperanda quædam ac præstanda sunt. Post illa enim ingruere possunt difficiliora. His verò ingruentibus, non tam strui, ut sic dixerim, ærarium, quam structum & læcuples esse convenit. Adde, quod solvendis tributis subditi tunc maximè pares inveniuntur; & longè facilius sit minutatim & paulatim aliqua conferre, quam incumbente necessitate multa simul præstare, Boxhorn Polit. Inst. Lib. III. c. 5.

XXIII.

Quantitas tributorum ex fine determinanda est. Neque enim in infinitum augeri exactiones, aut justitia permittit, aut prudentia consultum ducit. Mali Imperatoris optimum dictum est: *Boni Pastoris esse, rondere pecus, non deglubere*, Tyrannicum illud: *Hoc agendum, ne quis quidquam habeat*. Rectè igitur inter dominationis flagitia recensetur nimia tributorum exactio. Regium est Jacobi I. M. Britannia Regis ad Henricum Filium monitum: *Nolite locupletare nova & gravia tributa imponendo, sed suorum operum ac facultates certissimas suas divitias existimato*. Falluntur verò, qui salutem Reipublicæ & securitatem Principum in paupertate populi consistere putant. Contrarium rationibus & exemplis demonstravit Forstnerus ad Tac. Ann. Lib. IV. c. 72. Belgium federatum nunquam fortasse ad excutiendam Hispania jugum animi applicasset, nisi intolerabiles Albani exactiones ad desperationem adegissent. Admonet nupera Neapolitani Regni commutatio, ut Masaniellanae seditionis mentionem faciamus, quæ à nimia & intempestiva tributorum indictione profecta, parum aberat, quin totum Regnum pessundaret, vel saltem ditioni Hispanicæ subtraheret.

XXIV.

Finis tributorum est conservatio & commodum Reipublicæ. Per Rempublicam autem nec Principem solum, nec solos cives intel-

ligim
Hinc
venie
capu
gravi
gunt
riam
gent
que t
studi
Princ
malè
mora
ba ap
injur
suis r

scien
Rege
vere
ctori
sed re
sam f
scien
Benè
expet
Ceria
varie


N
No T



ligimus, sed utrosque. Communis Boni causa tributa dantur. Hinc & quod in Regis sustentationem characteri ejus convenientem datur in communem utilitatem datum videtur, caput enim pro dignitate sustentari publicè interest. At gravissimè peccant Principes, qui in id subditos suos exungunt, ut injustis ac non necessariis bellis fines imperii dilatent, gloriam quærant, ambitionique suæ satisfaciant, vel fiscum auro argentoque superfluo replentes avaritiam explere satagant, vel denique sanguinem ac sudorem civium per luxum, nimium splendoris studium, & scelera dilapident. Et moralistæ non malè statuunt, Principem, qui iniquum vel justo gravius tributum acceperit, vel malè impenderit in conscientia teneri ad restitutionem; Digna membra sunt Eberhardi Primi, Ducis Württembergiæ morituri verba apud Horlederum Lib. III. quibus DEUM precatur, ut, si qua injuria affecisset subditos, in animum sibi revocaret, quo de bonis suis restituere posset.

XXV.

Utrum hoc Coronidis loco adjungemus. An subditus certò sciens vel habens opinionem probabilem, injustum esse tributum à Rege impositum vel non rectè impensum iri, nihilominus illud solvere teneatur. Pro negativa Thomam Hurtado, Franciscum à Victoria, Joh. Azorium adducit Zieglerus l. c. c. 3. §. 52. & c. 4. §. 7. sed rectè periculosam esse hanc assertionem & Reipublicæ damnosam subjungit. Subdito enim in omnibus rebus, quas salva conscientia præstare potest, præter obsequii gloriam nihil est relictum. Benè Marcellus apud Tacitum H. IV. c. 8. *Bonos Imperatores voto expetendos, qualescunque tolerandos, & apud eundem L. eod. c. 74. Cerialis, quomodo sterilitatem aut nimios imbres; ita luxum vel avaritiam dominantium toleranda.*



I.

Naturam institui pervestigare tributi
 Quid jubeant leges utilitasque prober.
 Ne Te pœniteat vigiles tribuisse labori
 Noctes, pro meritis mox tribuetur honor.

Adscripsit Dn. Resp.

PRÆSES.
 Non



II.

Non semper latuisse juvat, certamina Musis
 Interdum placidis docta subire placet.
 Castaliis nutritus aquis Tu luce magistra
 Naturam, vires, ingeniumque probas.
 Gratulor hinc Tibi, proque Tuis optata TRIBUTIS
 Apprecor ut LANGI! præmia digna feras.

*Hicce Doctissimo Domino Magisterii Candidato
 Fatori suo estimando, de publico eruditionis
 Philosophica specimine gratulatur*

M. Joh. Theodoricus Lächelint
 Stip. Rep.

III.

Derther Tag / an dem heut unser Freund
 Von seinem langen Fleiß zeuget /
 An welchem Er zu Seiner Ehre steigt /
 Erwünschtes Glück! da wir heut Zeugen seynd
 Von seines Fleißes künfft gem Lohn
 Der Weißheit schönen Vorbeer: Cron:
 Sophia selbstn rühmt sein Fleißig - seyn /
 Sie stimmt mit unsern Freuden ein /
 Und rufft daher:
 So wird nächst Ruhm und Ehr /
 Ser: Lang durch langen Fleiß auch langes Glück erlangen.

*Dieses wollten als ein Denkmahl ihrer
 Freundschaft beysetzen des Hrn.
 Resp. getreue Freunde*

S. N. H. S.

Tübingen, Diss., 1706-09

X 241 8747





1707 4

De
TRIBUTIS,

EX PRINCIPIIS PHILOSOPHIÆ
PRACTICÆ,

Auspice DEO,

9

PRÆSIDE

**JOHANNE EBERHARDO
RÖSLERO,**

Philos. Pract. Prof. Publ. Ord. & Contubernii
Rectore, Fac. Philos. h. r. Decano.

Pro ritè obtinenda Laurea Philosophica Secunda

Disputabit

CHRISTOPH. MATTHIAS LANGIUS,
Schorndorffensis, Philos. Candidatus.

Ad diem XII. Septembr.

H. Lq; consuet.

TUBINGÆ,

Typis JOHANNIS GRÆZII.

Anno MDCCVII.

